



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. De duobus casibus specialibus pertinentibus ad officium judicis, de quibus agitur in hoc titulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. I.

De duobus Casibus specialibus pertinentibus ad officium Judicis, de quibus agitur in hoc Titulo.

Primus casus est, quod ad officium Judicis pertinet, siue Ordinarius ille sit, siue Delegatus, ut parti litiganti idoneo Advocato provideat (ne patrocinio necessario destituatur) si ob paupertatem, Judicij imbecillitatem, adversarii potentiam, vel ob aliam causam pars litigans talem habere non possit, prout statuitur in *c. ex literis 1. h. t.* Alter casus est, quod in litis contestatio requiratur, si loco actionis Judicis officium impleretur principaliter & contra certam personam; si verò Judicis officium tantum incidenter impleretur, siue ante, siue post ingressum causæ hoc fiat, litis contestatione opus non est. *c. Judicis 2. h. t.* in hoc enim casu vel non requiritur plena causæ cognitio, vel sufficit litis contestatio super negotio principali facta, quæ accessorie se etiam extendit ad incidenter imploratum officium Judicis, quod in primo casu locum non habet.

§. II.

Utrum Judex ex officio suo debeat judicare, secundum allegata, & probata?

Regulariter & ordinariè hoc fieri debere certum est; plurimum tamen dubitatur, utrum in illo etiam casu secundum allegata & probata procedere debeat Judex, quo privatam scientiam scit innocentem reum, qui per publicas tamen in judicio probationes reus esse convictus est. Sunt qui absolute velint, ferre

sententiam Judicem semper debere juxta scientiam, quam habet, siue privata illa sit, siue publica, & consequenter nunquam posse contra reum, quem privatim ipse scit innocentem procedere; alij cum opposita sententia putant, quæcunque denique privata Judicis scientia sit, secundum allegata & probata semper debere eum procedere, & reum, quem novit ipse quidem privatim innocentem, si publicis tamen probationibus nocens ille convictus est, condemnare debere, tertia tamen sententia, quæ verior videtur, distinguit inter causas civiles & minores criminales, & inter criminales majores, in quibus de vita vel mutilatione, &c. agitur, & concedit, quod in civilibus & levioribus causis criminalibus possit & debeat Judex contra privatam suam scientiam secundum allegata & probata judicare, ita ut quem innocentem privatim novit, si publicis tamen probationibus nocens convictus sit, condemnare possit ad civilem sententiam aut leviolem criminalem poenam, non autem hoc possit, si condemnandus reus esset, quem novit illam privatam scientiam innocentem, quamvis publicis probationibus reus probatus esset ad poenam mortis aut mutilationis: cum enim Republica jus habeat à Dominis sine illorum culpa ex causa boni publici bona temporalia auferendi, & poenam leviolem sustinere debeat innocens, si bonum commune exigat, non autem jus habeat in vitam innocentis, neque hic sustinere debeat invitæ vitæ privationem, &c. consequenter illud fieri poterit, bono publico exigente, ne judicia perturbentur, talem jaçturam ut patiarur innocens,